



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Antonius Perez Ord. Gen. n. 11

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

qua illa nostra in ipsos obseruantia, quam hætenus experti sunt, nihil detractum, vel diminutum fuisse, vel etiam in posterum fore sibi certo persuadeant. Datum in hoc nostro Monasterio Tabanensi, die 29. Octobris, anni 1645. Ita apud P. Danielem Bartoli in *vita S. Ignatij lib. 1. fol. 80. num. 21.*

Aguntur
gratia Pa-
tribus Cas-
nensibus
Congrega-
tionis Ita-
lia, & Lu-
sitania pro
beneficio in
Societatem
collato.

Tanti fecit Societas IESV duplex hoc Decretum, ut in sua Congregatione VIII. Generali gratias rependat duplici altero Decreto 13. & 26. Et hoc inter alia sic ait. Quibus auditis (duobus nempe Decretis iam datis) censuit Congregatio, imprimis Venerabilibus illis Patribus, totoque religiosissimo Cætui, quam maximas gratias haberi, agique oportere, quod æquitate, ac charitate, religiosissimo Ordine plane digna, bonam Societatis existimationem, etiam aduersus suos ipsorum alumnos defendendam susceperint. Deinde huius quoque recentis beneficij notitiam publico Decreto ad omnes socios, tum hodiernos, tum posteros transmittendam; ut, & quantum sanctissimo Ordini Societas debeat, intelligant vniuersi, & omnibus charitatis, ac venerationis Officij parem illi gratiam referre contendant. Hætenus Decretum.

Templa Te-
sitarum
Paradisi
imagines.
Non alteri
quam Ma-
riae Igna-
tius arma
summittit.
Eph. 6. 17

Ille Hære-
sam iugu-
lator.

II. * AB ANTONIO PEREZ *Ordinis Generali dignif-
simo in ser. de Beatificat. S. Ignatij, Vallisoleti typis edito ann. 1610.*
fol. 15. Talis (inquit) est huius Religionis Templorum nitor,
qualis in retroactis sæculis nunquam visus, adeo ut quodlibet
illorum viuida Paradisi imago sit. Et fol. 17. Cum ad aras
B. Virginis in Monte-ferrato Ignatium arma suspendentem contem-
platur, Vix (ait) alteri quam Mariæ illa arma posse summitti,
cui vel ipse Deus sua (Æternum videlicet Verbum, iuxta illud
Gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Ad Ephes. 6.) sub-
iecerat: *Additque*; Sicut de Beata Virgine Dei Genitrice occi-
nit Ecclesia: cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso
mundo, ideo Ignatius ad Virginis ædes arma suspendit, ut
inde fortiora mutuans, cunctas hæreses iugularet: per filios
nimirum Doctores, Cathedricos, Theologos, eruditissi-
mosque

mosque Scriptores, qui in hoc sacro Ordine contra Hæreticos procreantur, ac velut publicis Ecclesiæ armarijs ad Dei conspectum non minus pendent, quam sui Parentis in Virgineo Templo ensis, & sicca, in quibus ad viuum exprimuntur. *Et fol. 22. subdit:* Instituit Ignatius hanc sacram Religionem, opus sane, quo eius Auctor æternitati donandus, & tamen IESU ille, non Ignatij dulcissimo ac diuino Nomine insigniuit. *Et fol. 24.* Gratiam homines inter se discordes conciliandi S. Parens Ignatius suis filijs quasi testamento legauit: in quo illi prærogatio adeo excellunt: vt non iam inter maritos & vxores; parentes ac filios; Ecclesiasticos ac sæculares; Religiosos ac laicos; Reges ac Regna; Imperatores & Principes; Pontifices & Prælatos; Christianos & Gentiles; imo vel inter Deum & hominem, suis orationibus, disciplinis, mortificationibus, ieiunijs, & excellentissimæ charitatis actibus pacem meditantur, concordiam parant. Ad demum homines à rationis scopo aberrantes familiaribus colloquijs, sermonibus, lectionibus, disputationibus, scriptis eximijs, laboribus ex diuino amore progeneris, componunt, victimarum instar oblatis publico proximi beneficio; in quos sanctos Patres videtur oculos direxisse S. Gregor. cum dixit hom. 9. in Euang. subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur. Ij enim in rerum penetratione lincei, in executione Hercules, in intelligendo omnes sunt capita, in operando manus, omnes: in vita contemplatiua Mariæ; Marthæ in actiua: in speculatione demum cuiuscumque rei subtilissimi, in ea exequenda admirabiles, ac prodigiosi.

Et fol. 25. Calum appellat Ignatium, & quinque eum Zonis, que Calum præcingunt, adornat, iuxta illud Virgil. lib. 1. Georgic.

*Quinque tenent Calum Zone, quarum vna corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne:
Quam circum extreme dextra, leuaque trabuntur*

X 2

Cerulea

*Cuius filij
velut arma
in Hæreticos
pendent
in publicis
Ecclesiæ
armarijs.*

*Quanta
polleant
dexteritate
in conciliandis
discordibus.*

*Victimarum
instar
publico
beneficio
oblatis.*

*In rerum
penetratione
sunt
lincei, in
executione
Hercules.*

*Ignatius
Calum
quinque
Zonis præcingit.*

Cerulea glacie concretæ, atque imbribus atris.

Has inter mediantque duæ mortalibus agris

Munere concessæ Diuum.

Prima ar-
dentissima
charitatis.

Secunda,
& tertia
lacryma-
rum.

Quarta, &
quinta be-
nignitatis.

Eius filij
caelestes
Orbes.

Missionum
cursum &
doctrina
lumine.

Societas
exorientis
fidei musi-
cum Instru-
mentum.

Quarum prima Solis ad instar ardentem Ignatij spiritum viuis delineamentis adumbrat, qui semper alienæ salutis appetens ardentem charitatis euibrabat radios: quin & ipse solares à facie lucis iaculare non semel visus est. Reliquæ duæ, quæ imbribus, & gelu rigent, illacrymantis Ignatij, & in Parisiensem lacum rigenti horridum gelu membra immergentis, vt venereos proci adolescentis ignes extingueret, imaginem gerunt. Postremæ duæ zonæ sic influxus temperant, vt nec ignibus torreat, nec glacie rigescant, qua benignitate mortales omnes ad se inuitant, Ignatij referunt animum, cuius benignitas tum Principes, tum alios diuersi generis homines, quæ consilij petendi gratia, quæ vt eius se commendarent precibus attrahebat. Et nihil hoc mirandum (*addit fol. 27.*) cum & filios suos in cælestes Orbes effinjerit. Si enim in lumine, & cursu præcipua stat Cæli elegantia, & pulchritudo, procul dubio cælestes Orbes Ignatij filios nuncupabis, qui & celeri Missionum cursu, & luminosa suæ doctrinæ gyratione mundum illustrant, hominemque, siue is Christianus sit, siue è Paganismo, Iudæus hæreticusve à cunis ad sepulchrum instruunt, & docent. Non ergo inficiabere illos Cælorum ad instar communi omnium beneficio ardentem splendoris radios in vniuersas Orbis plagas emittere. *Et tandem fol. 28. sermonem, ac elogium concludit:* Considerans (*ait*) cum Plutarcho nullum fore instrumentorum musicorum artificem, qui lyram non mallet effingere, quæ Amphion Thebanos muros erigeret, quam si Lacedæmonius Thales lepi chordarum pulsus ciues, quos inter rixa intercessisset, componeret: nullumq; nauigiorum architectum qui nauis clauum efformando, qua Themistocles Græciam circumibat, operam non potius daret, quàm Pompeianæ nauiculæ, quæ vix terræ conspectum fugeret: cum ergo illustria Societatis fa-

cinora

cinora celebrare musicum sit exorientis fidei Instrumentum componere, du&tricem nauem, quæ tumentis Orbis fluctus calcans, bellicum Christianæ Religionis apparatus, & annonam comportat: fateor sane non modo iucundum hunc meum laborem, sed gloriosum reputasse. *Hæc sunt amoris iacula, quæ tantus vir è cordis pharetra deprompsit, & fideliter latinè reddita. Quo nescio num elegantius dari de Ignatio Parente, Socijs, ac Societate testimonium possit.*

Et Navis Christianæ religionis bellicum apparatus comportans.

12. A ROMANO HAY. *In libro, quem inscripsit Astrum extinctum quest. 8. fol. mihi 549. num. 9. dum quemdam è Societate impugnaret, hæc habet.* Interim vero errores illius, aut similitium, Societati IESV nullo modo adscribimus, id enim stultissimum foret: quippe quam scimus sapientioribus, & sanctioribus Institutis deditam, & occupatam esse: imò cuiusque alterius iuribus conseruandis lingua, & calamo operam dare. Quid enim aliud sonant, tot in lucem à doctissimis Theologis Societatis edita volumina? tot Tractatus de de iure, & iustitia? tot è Summi Pontificis, de Romanorum Imperatorum, aliorumque Principum, ac Præsulum auctoritate, & potestate vulgata Opera, quam ut cuique suum tribuatur, ut errores ac vitia eliminentur, Christiana charitas, & virtutes mortalium animis inferantur, & conseruentur? *Hæc ille.*

Sapientioribus, & sanctioribus Institutis dedita.

Quanta eius in scribendo doctrina?

13. * AB ANTONIO DE S. ROMAN. *in Hist. Gener. India Orientalis lib. 3. cap. 26. fol. mihi 575. Qui cum Ioannis Tertij Lusitania Regis ardentem erga Orientis India conuersionem animum proposuisset, hæc habet.* Non tamen Regi suppetebant idonei ad tantam prouinciam ministri: Deus vero qui semper huiusmodi votis annuit, opportunum prouidit remedium. Tunc enim temporis dum Ecclesiæ castra firmioribus indigebant subsidijs, Ignatius Loyolæus vexillum contra mundi Principem erexit, cuius celebris memoria, & in cælo uiuit, & in terris contra temporis iniurias præualet. Iam sanctissimum illud Societatis IESV Institutum (quod ipse ordinarat) supra

Ignatius laudatur.

Et Societatis Institutum.